S.^MI D. N.

D. P A V L I

DIVINA PROVIDENTIA

P A P AE V.

INNOVATIO

Conſtitutionum Pij III. Pij V. Gregorij XIII. & Clementis VIII.
ſuper prohibitione extrahendi Frumenta, Blada, Legumina,
Animalia, & alia id genus Annonæ, & Graſciæ
extra Statum Eccleſiaſticum editarum,

AC REVOCATIO

Omnium licentiarum, & facultatum ſimilia extrahendi quibuſuis
Communitatibus, Vniuerſitatibus, & perſonis
hactenus conceſſarum.







ROMAE, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ. M. DCVI.

S.^mi D. N.

D. PAVLI

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE V.

INNOVATIO

Constitutionum Pij IIII. Pij V. Gregorij XIII. & Clementis VIII. super prohibitione extrahendi Frumenta, Blada, Leguminia, Animalia, & alia id genus Annonae, & Grasciae extra Statum Ecclesiasticum editarum,

AC REVOCATIO

Omnium licentiarum, & facultatum similia extrahendi quibusuis Communitatibus, Vniuersitatibus, & personis hactenus concessarum.



ROMAE, Ex Typographia Rev. Camerae Apostolicae. M.DC.V.

PAVLVS
PAPA QVINTVS.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Inter grauissimas curas, quas pro nostro munere assiduè sustinemus, illa postrema non est, in quam Nobis totis viribus incumbendum esse ducimus, vt nimirum Almam Vrbem nostram, & vniuersam Ecclesiasticam Ditionem Annonæ caritate, iamdiu grauiterq. laborantem, quantum cum Domino poterimus, liberemus, vtq. frumentorum, & aliarum rerum ad communem vitæ vsum, & sustentationem pertinentium copia in ipsa Vrbe, & Ecclesiastica ditione conseruari, Populosq. nobis subditos fertilitate, quæ eis à Domino conceditur, perfrui posse procuremus. Ad quæ præstanda tùm præcipua nostra erga ipsos subditos nostros caritate inducimur, tùm nonnullorum piæ mem. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, qui in hanc ipsam curam diligenter incubuerunt, exemplo mouemur. Dudum siquidem prouidè ac prudenter fel. rec. Pius Papa IIII. ad prædictis opportunè consulendum per suam editam Constitutionem sub Dat. Romæ apud Sanctum Marcum Idibus Augusti anno sexto, Quæ incipit, Inter multiplices curas, omnes, & quascumque licentias, & facultates extrahendi frumenta, blada, & legumina ex Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, & locis S. R. E. mediatè, vel immediatè subiectis, præterquàm ex causa verè onerosa, videlicet solutionis, & exbursationis pecuniarum eatenus quomodolibet quibusuis concessas reuocando, ne de cetero à dictis Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, & locis frumenta, blada, & legumina aliqui, præterquàm ex dicta causa extraherent, sub certis pœnis expresè prohibuit. Quam reuocationem, prohibitionem, necnon alia in dicta Constitutione contenta sanctæ mem. Pius Papa V. per aliam suam Constitutionem, quæ incipit, Romani Pontificis prouidentia circumspecta confirmauit, & innouauit, ac illam, & illa ad licentias & facultates quodcumque genus grasciæ, etiam in carnibus, ouibus, agnis, & alijs animalibus, necnon oleo, ac rebus alijs quibuscumque consistentis extendit, & ampliauit. Et deinde piæ mem. Gregorius Papa XIII. per quasdam suas sub Dat. die decimaoctaua Decembris 1576. Pontificatus sui anno sexto, Omnibus, & singulis Communitatibus, Vniuersitatibus, ac quibuscumque personis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis suæ, ac excommunicationis latæ sententiæ pœnis inhibuit, ne quouis prætextu directè, vel indirectè cuiusuis generis frumenta blada, legumina, atque animalia quæcumque extra statum Ecclesiasticum extrahere, & asportare auderent, seu præsumerent; Eos verò, qui contra inhibitionem huiusmodi commisissent, vltra prædictas, etiam amissionis frumentorum, bladorum, leguminum, & animalium prædictorum, necnon

quinque scutorum pro qualibet salma frumenti, bladorum, & leguminum huiusmodi, & duorum scutorum pro quolibet capite animalis pœnas Fisco, & Cameræ Apostolicæ applicandas, ipso facto incurrere voluit, ac decreuit: Et deinde per alias eius in forma Breuis litteras sub Dat. die prima Maij 1578. eodem sui Pontificatus anno sexto. Quòd nulli sibi & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecti cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existerent, etiamsi Barones, Domicelli, Comites, Marchiones, vel Duces, & Domini temporales existerent sub excommunicationis maioris, ac læsæ Maiestatis criminis, Dominiorum, & bonorum suorum confiscationis, feudorum amissionis, & quorumuis priuilegiorum suspensionis; & aliis etiam pecuniarijs arbitrio suo imponendis, & applicandis, ac etiam in publicis edictis, & proclamatibus per Annonæ Præfectos pro tempore tam eatenus editis, & emissis, quàm in futurum edendis, & emittendis contentis censuris & pœnis, triticum, ordeũ, legumina, ac omnis generis frumenta, & fruges à Terris, & locis dicti status Ecclesiastici absque expressa ipsius Gregorij Prædecessoris, & ab eo obtenta in scriptis, & eius manu signata licentia extrahere, vel extrahi facere, nulliq. ex prædictis eorum Subditos, & Vassallos, aut alias quascumque personas, quominus triticum, ordeum, legumina, frumenta, fruges prædicta à quibusuis locis eis subiectis, quouis prætextu etiam Molituræ, aut cuiusuis alterius oneris solutionis, ad Almam Vrbem afferent, prohibere, aut per se, vel alium, seu alios directè, vel indirectè impedire auderent, quin potius illi sic afferentibus omnem opem, & fauorem præstarent: Ac insuper nulli aliquam tritici, ordei, & leguminum, omnisq. generis frumentorum, & frugum quantitatem, nisi pro suo, suarumq. familiarum vnius anni dumtaxat vsu emere valerent. Et contrafacientes pœnas prædictas incurrisse declararentur, & aggrauarentur, ipso facto statuit, atque decreuit. Non obstan. etiam priuilegijs, indultis, litteris, & gratijs Apostolicis quibusuis personis, Ciuitatibus, Terris, & locis in genere, vel in specie, etiam ex causa onerosa concessis. Demum rec. mem. Clemens Papa VIII. prædictas constitutiones, dempta ex illis excommunicationis pœna approbauit, & confirmauit, prout in eisdem constitutionibus, & litteris respectiuè; quarum omnium, & singularum totos tenores cum omnibus, & singulis ibidem contentis, & dispositis pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, licèt per prædictas, & alias desuper editas constitutiones, & prohibitiones satis præmissis prouisum esse videatur, nihilominus, quia, sicut accepimus, aliqui propriæ salutis immemores tot Constitutionibus, prohibitionibusq. ac pęnis in illis appositis non obstantibus, frumenta, blada, legumina, animalia, oleum, & alia id genus tàm Annonæ, quàm grasciæ concernentia extra statum nostrum Ecclesiasticum absque licentia extrahere non verentur; alij verò prætextu diuersorum priuilegiorum, licentiarum, & facultatũ eis concessarum frumenta, aliaq. prędicta ita continuò extrahunt, vt per continuas, & immoderatas extractiones huiusmodi statum prædictum, & illius loca exhauriant, & exhausta relinquant, in maximum Populorum, & Subditorum nostrorum damnum, & præiudicium, cumq. experientia

rientia compertum sit, ad conseruandam tàm in Alma Vrbe nostra, quàm in reliqua Ecclesiastica Ditione Annonæ copiam maximè conducere, vt nimia facilitas extrahendi ex dicta Vrbe, & ditione frumenta, blada, legumina, oleum, & animalia reprimatur; ac memoratæ supradictorum nostrorum Prædecessorum Constitutiones diligenter, & sine vlla exceptione obseruentur. Nos pro paterna nostra erga nostros, & Apostolicæ Sedis Subditos caritate, eorum vtilitati, & cõmodis in premissis opportunè prospicere cupientes, Motuproprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deq. Apostolicæ potestatis plenitudine, Omnes, & singulas Pij IIII. Pij V. & Gregorij XIII. ac Clementis VIII. Prædecessorum nostrorum Constitutiones, & litteras in quibuslibet earum partibus, etiam quoad excommunicationis, & alias Ecclesiasticas censuras, quantũ attinet ad frumentorum, bladorum, leguminum, & olei extractionem tantũ, & quoad certas pęnas quascunque in eisdem constitutionibus, & litteris contentas, non solùm in quantum ad præmissorum, sed etiam in quantum ad aliarum rerum ad Annonam, & grasciam pertinentium extractionem attinet, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò innouamus, confirmamus, & approbamus, illasq. aduersus quascumque reuocationes, suspensiones, limitationes, & moderationes in pristinum, & eum in quo antequam illæ emanarent, erant, statum, restituimus, reponimus, & plenariè reintegramus, illasq. & earum singulas ab omnibus, & singulis, quos concernont, inuiolabiliter de cetero obseruari debere sub temporalibus, & Ecclesiasticis pęnis, & censuris prædictis in illis contentis præcipimus, statuimus, & ordinamus: Præterea ad hunc effectum Motu, scientia, & potestatis plenitudinę similibus hac nostra perpetuò valitura constitutione omnia, & singula, ac quęcumque priuilegia, licentias, & facultates frumenta, blada, legumina, animalia, oleum, & alia id genus tàm Annonam, quàm grasciam concernentia, etiam in propriis eorum prædijs, possessionibus, agris, & terrenis pro tempore recollecta ex quibuscumque status nostri Ecclesiastici temporalis Prouincijs, ac Ciuitatibus, Terris, Castris, & locis, eorumq. territorijs, & districtibus nobis, ditioniq. nostræ Ecclesiasticæ mediatè, vel immediatè quomodolibet subiectis extrahendi quibusuis Cõmunitatibus, Vniuersitatibus, & personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel conditionis existentibus, etiam ratione Legationum, Guberniorum, & aliorum officiorum, & munerum eis commissorum, & per quosuis Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, Sedemq. & Cameram Apostolicam, & quosuis alios, & etiam nostra auctoritate, aut aliàs ex quauis causa etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, & ipsorum laborum, damnorum, vel meritorum intuitu, & alia etiam quantumuis rationabili, iuridica, & priuilegiata causa sub quibuscumque tenoribus & formis, etiam in vim contractus, & cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam irritantibus, etiam quantumuis prægnantibus insolitis, & de necessitate exprimendis, etiam motu, scientia, & potestate similibus, aut alias quomodocumque, & qualitercumque (præterquam dumtaxat ex causa verè onerosa, videlicet congruæ solutionis, & exbursationis pecuniarum, aut

ratione

ratione appaltuum, & locationum, introituum, iuriumq. & bonorum Sedis, & Cameræ prædictorum) hactenus concessa, approbata, confirmata, & innouata, illorum omnium, & singulorum tenores veros, plenarios, & integros, ac si de verbo ad verbũ, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, insertis, & registratis habentes, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò reuocamus, cassamus, annullamus, ac viribus vacuamus, ac reuocata, annullata, cassata, inualida viribusq. & effectu vacua esse, & fore; ac nemini vllatenus suffragari posse, aut debere, præsentes quoque litteras etiam ex eo, quod interesse habentes, seu prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut propterea reuocari, retractari, suspendi, limitari, aut in ius, vel controuersiam vocari, aut aduersus illas quodcumque gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari nullatenus posse; Omnes prætereà & singulos similes facultates, & licentias extrahendi ex causa, vt præfertur onerosa sibi concessas esse allegantes, & prætendentes, antequam ipsi de cetero vllo vnquam tempore illismet facultatibus, & licentijs vti possint, illas in Camera Apostolica, citato eiusdem Cameræ Commissario generali verificari debere, nisi aliàs pro talibus verificatæ, examinatæ, & admissæ fuerint, quia dicto casu ad nouã probationem, & verificationẽ teneri nolumus. Ac deinceps perpetuis futuris temporibus nullos quarumcumque licentiarum, & facultatũ huiusmodi, nisi ex causa onerosa, vt præfertur, concessarum, vel concedendarum vigore, etiamsi extractionem propria auctoritate faciendi illis permissum sit, extractiones frumentorum, & aliorum prędictorum extra statum nostrum prędictum aliquo pacto facere, nec etiam similes extrahendi licentias, & facultates in posterum concedi posse, aut debere, nisi Chirographo manu nostra, aut Romani Pontificis pro tẽpore existentis, quoties extractio facienda erit, subsignato præcedente, alioquin licentias, & facultates huiusmodi, aliasq. chyrographo prædicto non pręcedente pro tempore concedendas, & extractiones faciendas nullas, nulliusq. roboris, & momenti fore, & esse, ac ipsos extrahentes pęnas supradictas incidere, & ad illarum executionem contra illos irremissibiliter procedi posse, & debere; Sicq; per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, Thesaurarium, Annonæ Præfectum, & quouis alios Iudices ordinarios, & delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, declaramus, statuimus, & ordinamus. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, concessionibus quoque licentijs, facultatibus, priuilegijs, & litteris Apostolicis Communitatibus, Vniuersitatibus, & alijs etiam particularibus personis prædictis, etiam, vt præfertur, qualificatis, & quibusuis alijs quomodolibet, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine à

simili-

ſimilibus, ac etiam conſiſtorialiter, & de Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, & aſſenſu, & ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq. efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis, etiam inexcogitabilibus, & neceſſariò exprimendis, ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & approbatis: Quibus omnibus, & ſingulis etiam ſi in eis caueatur expreſsè, quòd ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut alijs quibuſcumque contrarijs diſpoſitionibus pro tempore edendis minimè comprehendantur, ſed ſemper ab illis exceptæ, & quoties illæ emanarent, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutæ, repoſitæ, & plenariè reintegratæ, & de nouo etiam ſub poſteriori data per eos quibus conceſſæ fuerunt, eligenda de nouo conceſſæ cenſeantur, & quòd illis nullatenus, aut non niſi certis modo, & forma in illis expreſſis derogari poſſit, & aliter factæ derogationes nullæ ſint, quodq. pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumq. totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, ac de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generale idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruāda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita plenè, & ad vnguem obſeruata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, necnon omnibus illis, quæ ſupradicti Prædeceſſores noſtri in eorum litteris voluerunt non obſtare, ceterisq. contrariis quibuſcunque. Vt autem præmiſſa ad omnium notitiam deducantur, & nè aliquis de eis ignorantiam prætendere poſſit, volumus, quòd pręſentes litterę per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus noſtris ad Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ valuas, & in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amouebuntur, earum exempla in eiſdem locis affixa dimittantur, vtq. ſinguli Legati, Vicelegati, Gubernatores, & alij ſupradictorum locorum Officiales illas in eorum locis reſpectiuè publicari faciant, quæ ſic publicatę, & affixæ, omnes & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac ſi vnicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent. Vtq illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides in iudicio, & extra vbique adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſimatertia Decembris Milleſimo ſexcenteſimo quinto, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

M. Veſtrius Barbianus:

Anno

Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi Millesimo sexcentesimo quinto, Indictione tertia, die verò vigesimaquarta Mensis Decembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Pauli Diuina prouidentia Papæ Quinti Anno eius primo, supradictæ Litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ per nos Christophorum Fundatum, & Ioannem Baptistam Menochium Apostolicos Cursores.

Bernabeus Politus Auximanus S. D. N. Papæ
Cursorum Magister.